QVAESTIO MEDICA

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS EXCVTIENDA in Scholis Medicorum, die Iouis 24. Nouembris. M. Nicolao Henault Doctore Medico, moderatore prudentißimo.

An Epilepsiæ Cranium humanum.

ARTIS Medicæ principium, Morborúmque medicatrix, Natura, omnia à se docta, ex séque ipsa discens, corporis organici partes ita finxit perfecítque, vt ipsæ citra doctrinam proprias aggrederentur actiones: Quod si contingat ipsas aliquando vitiari, aduersus infestantes causas ita insurgunt, vt vel omninò succumbant vel liberentur. Hoc videre est in Cordis, partium nobilissimi, palpitatione, in quâ vehementi diastoles, & sistoles, motu, nititur Cor noxium à se expellere: hoc in Pulmone, & partibus thoracicis, tussi; in ventriculo, singultu, & vomitu; in Cerebro, sternutatione, sed longè euidentiùs cùm in epilepsia, non solùm ipsum, sed & totum corpus, ad noxiæ materiæ expulsionem, concutitur.

HOC formidandum, actionum expellentium, & motiuarum symptωma, Antiquioribus ἱερὰ νόσος dictum, crebra est, eáque periodica, totius corporis, cum mentis, & sensuum læsione, deprauata actio: quæ à conuulsione, sicut à motu conuulsiuo, & omnibus capitis frigidis affectibus distincta, causam habet inter acutos simul & diuturnos connumeratam affectus. Duplex ea est, per essentiam altera, altera per consensum: Vtraque causam suæ generationis agnoscens materiam quamlibet aut copiâ, aut qualitate, acri quodammodo & mordaci, facultatem irritantem, quæ vehementes hos motus concitet: mitior illa, sed periculosior: hæc toleratu multò grauior, sed securior existit.

PORRO affectus hic repentè inuadens, prægressis, capitis grauite, aut atroci dolore, sensuum, mentísque stupore, & tarditate, frequenti sternutatione, vel oscitatione, saliuæ copiâ, faciei pallore, linguâ in sermone perplexâ, insomniis turbulentis, procliuitate ad iram, & facili rerum obliuione; cardiogmo, nauseâ, & animi defectione innotescit. Vtrique Sexui familiaris, viros tamen, sæpiùs quàm fœminas alter, pueros, quàm senes vterque faciliùs inuadit, ab illo tamen immunes euadunt, quibus in capite vlcera vel pustulæ oriuntur, vel nares, auréseue fluunt: Sic quartanâ febre correpti à magno morbo liberantur, quamuis melancholici facilè fiant Epileptici, & contra. Huic finem adferunt, pueris, mutationes ætatis, temporum, locorum, atque diætæ. Quod si συγγενὴς fuerit, vix aut nunquam sanatur; si vltra vigesimum quintum annum prorogetur, ad mortem fere comitatur, nisi febris superueniens huic morbo remedio sit.

INSTRVMENTA per quæ Medicus operatur, Similia sunt & Contraria: Instrumentorum materia Diæta, Chirurgia, Pharmacia: his tribus ad Epilepsiæ curationē, citò, tutò, & iucundè, efficiendam commodè vtetur Medicus, sumptis à causâ, & parte affectâ curationis indicationibus, quę omnia cùm satis supérque nota sint & manifesta, quid est quod derelictis consuetis, & qualitate manifestâ agentibus, remedijs, ad ocultâ, quod aiunt, proprietate agentia, pœoniæ radices collo suspensas, & semen decrescente Lunâ collectum, viscum quercinum, Leporis coagulum, Cuculi cineres, Cranium humanum, ossa humana nescientibus data potui, cornu Alces, oleum de gagate, & multa eiusmodi magno nostro dedecore & ægrorum damno, reiectâ rationali remediorum inuentione, Empyricorum more recurramus?

IGITVR rectâ cum ratione curanti, paroxysmo correptus ab eo protinus liberandus, huícque tam sæuo symptωmati, neglectis causâ & morbo, prouidendum; æger itaque calido & lucido loco collocandus, capite paulò sublimiore, ex quo extensa membra supernè deorsùm confricentur, & dolorificè vinciantur, os constrictū diducatur, spuma detergeatur, acres tū balani, tū clysteres subiiciantur, puluisculus ex leucopipere, & Elleboro albo, naribus insufletur ad sternutamentum, palatū hierâ, mitridatio, theriacâ, cū succo ruthæ, pennâ vel linteolo fricetur. Sedato paroxismo roboretur cerebrum, recursus prohibeatur, præparando, atterendo, & materiam extirpando, alterantibus, vacuantibus: Vniuersalibus, particularibus. Diætâ, simili, temperatâ, contrariâ; Chirurgiâ, quæ ferrum, flammas, vincula adhibeat; Pharmaciâ, quæ pro ratione affectus primigenij vel per consensum, ex generatione, vel aliunde labe contractâ, in lactantibus, vel ablactatis, pueris, adolescentibus, haud expectatis ætatis auxilijs, reliquísque remedia suppeditabit.

Non Ergo Epilepsiæ Cranium humanum.

Asserebat GVILLELMVS DESDAMES Rothomagæus Anno 1611.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Henricus Blacuod. Med. Reg.
M. Gabriel Biard.
M. Ioannes Desgorris.
M. Renatus Chartier. Med. Reg.
M. Franciscus Placet.
M. Andreas du Chemin.
M. Ioannes Beau-chesne.
M. Joannes Haultin. Med. Reg.
M. Henricus Blacuod.